



*Red*

*37  
Be*

*George Frederic  
de Rostek*

*X*



77  
EXERCITIUM LEGALE  
DE  
JURE  
TUTELARUM,

Qvod  
SUPREMI ORPHANORUM AC VIDUARUM  
TUTORIS ATq; CONSERVATORIS  
AUXILIO

Magnifici Juris Antecessorum SENATUS  
indultu,

DIRECTORE

VIRO  
Nobili, Amplissimo, Consultissimo

D<sub>N</sub>. JOACHIMO DECHERO,

Phil. & J. U. D. Pand. Profess. Publ. Praeceptore  
ac Patrono suo summo, summè semper  
colendo,

In Auditorio JCtorum  
die XII. Novembr.  
examini publico sistit

CHRISTIANUS CREBS,  
GORLIC. LUSAT.



Francofurti cis Viadrum

Typis  
NICOLAI KOCHII, Acad. Typogr.  
M. DC. LI,

VIRIS  
Nobilissimis, Amplissimis, Consultissimis  
& Prudensissimis

**DN. BARTHOLOMÆO GEHLERO,**  
JCTo, Consulari & Syndico Reipubl. Patriæ  
bene merentissimo.

**DN. GEORGIO ENDERMANN/**  
itid. Consuli Spectatisimo.

**DN. DANIELI RYCHTERN/**  
Jurisperito, ac Consuli dignissimo.

**DN. GREGORIO GOBIO,**  
Hæreditar. in Rauschewalda, Scabino primario.

**DN. JOANNI WENDZ/ J. U.**  
Perito, Scabino & apud Lusatios Pract.  
celebratissimo,  
cæterisq;

Dnn. JUDICI, SCABINIS & SENATORIBUS  
Prudentiæ & Justitiæ Präconio maximè conspicuis,

Dnn. Fautoribus, Patronis ac Promotoribus  
meis devotè suspiciendis,

Hoc quale quale Exercitium  
Qua possum animi submissione reverenter  
In mei meorumq; studiorum commendationem & ul.  
teriorum favorem

carissimis fratribus D. D. D.

Christianus Crebs.  
Auth. Resp.

PRÆLUDIUM  
DISSERTATIONIS JURIDICÆ

Vemadmodum in tam amplo, immen-

**Q**uo ac multivago Jurisprudentia campo quædam materiæ inveniuntur, quæ præ cæteris ob ejus insigne utilitatem vix encomio indigent; ita & hæc præsens materia, quæ est de Jure Tutelarum, prætermisis quantum de jure Servorum & legibus fusiis Caniniis agunt, vix desiderat prolixiorum commendationem, quandoquidem ipsa se satis superq; commendat, adeò ut de cā convenientissimè & rectissimè illud prædicari & dici possit, quod Ictus Ulpianus in l. i. D. de integr. rest. ait: Utilitas hujus tituli non meretur laudem, ipse enim se satis ostendit; sanè liquet, quid lex divina injungit Magistratibus & omnibus Judicibus Exod. 22. v. 23. Esa. 1. v. 17. Jacob 1. v. 27. In propatulo est, quantum Reipubl. inter sit, ut pupilli defendantur, hæc enim neglecta, Respublica non adjuvatur, sed membris vel penitus privatur, vel inutilibus terræ ponderibus inquinatur. Quapropter, cum semper tales materiæ, quæ dignitate ac cognitione nobiliores, utilitate ac jucunditate ponderosiores præ cæteris selligentæ, tractandæ ac excutiendæ sint, per l. legavi 25. pr. ff. de liber. legat. l. i. pr. ff. de susp. tut. Placuit mihi in præsentiarum in amoenissimum & latissimum Divi JUSTINI ANI IMPERATORIS nostri sacratissimi pratum exspatiari, talemq; decerpere florem, cuius usus in foro valde freqvens, maximèq; necessarius d. l. i. pr. ff. de susp. tut. Ne verò illotis, quod dicitur, manibus rem apprehendam, opus est (1.) ut initium cum DEO TER. OPT. MAX. faciam, sine quo omnis in literarum studiis peregrinatio, est miserabilis erratio Scal. Exercit. 359. Seet. i. atq; in ejus nomine ad omnia consilia & actus progrediar l. 2. C. de prefect. Præt. Afr. quippe ex quo bonum semper consequitur initium, melius medium, optimusq; finis Nov. 109. Proœm. (2.) Ut ordinem observem, est enim ordo Entium Magister l. cui 57. ff. de V. S. sine quo progressi est equum per caudam frænare. Constatit ergo exercitium

citium nostrum qvinq; præcipue membris, qvorum primum exhibebit definitionem qvid nominis & rei. Secundum divisionem. Tertium enodabit tutoris qualitatem & officium. Quartum ager de administrationis effectu, & Quintum de- aiq; tractabit de diversis ejus finiendi modis.

## MEMBRUM PRIMUM.

### De Definitione nominis & rei.

#### Thesis I.

Qvod itaq; principio spectat definitionem qvid nominis, tutelam à tuitione seu cuendo dictam esse, & ratio vocis & authoritas Ulpiani *in fragm. tit. II. confirmant.* Defenditur enim per eam lubricæ ætatis Persona, qvæ propter mentis & corporis infirmitatem se tueri, suisq; rebus superesse non potest §. 6. *Inst. de Attil. tut. l. I. ff. de tut.* Hinc IMPERATORI JUSTINIANO tutor audit tutor §. 2. *Inst. de tut.* Imperatori VALENTINIANO simpliciter defensor l. 2. C. quand. mul. tut. off. fung. cum qvibus facit jus Saxon. Tutor heist so viel/als ein Vormund und Beschützer/denn er soll die unmündigen Kinder beschützen/die sich vor Unmacht ihrer Vernunft und Leibes nicht selbst versorgen mögen. *ita gloss. ad Weichb. c. 26.* Varro lib. 6. de ling. lat. dicitur etiam tutor ab adspectu seu intuitu, quasi pupillorum debeant esse ephori & inspectores, qvam quoq; deductionem, utpote tutoris officium ostendentem, non respuimus. Illam autem plane abusivam putamus, qvā tutores quasi tollitores appellantur, eð, qvòd non nunquam bona pupillorum auferant & tollant. *Alb. Rosat. in suo dictionar. vers. tutores*, qvandoq; videm ibi describuntur non qvales esse debent, & qvales ab initio præsumuntur, sed qvales plerumq; in recessu esse solent: ad qvod etiam al. iudant Germani, qvando dicunt: Vormund quasi vor ihe Mund / weil sie den Pupillen das Brodt vor dem Mund weg nehmen.

#### II.

Cum verō vocabulum tutelæ in LL. multifariè usure petur, seponenda etiam est æqviveatio seu homonymia, omni um

um errorum nutrix. Sumitur tutela in genere qvām latissimē, &c qvidem (1.) pro omni defensione ac custodia l. i. C. de V. S. (2.) pro defensione tam corporis adversus hominum injurias l. ut vim 3. pr. ff. de J. & J. l. in omnibus 1. §. sed & si 2. ff. de tut. & rat. dispr. qvām aliarum rerum, intellige dotium l. pen. ff. de impens. in res dedit. fact. fundi, ædificiorum l. fructus 7. §. ult. ff. solut. matr. (3.) pro tutela Civitatis l. Prætor. §. 2. ff. de Cloac. (4.) pro curā, qvam in sua latitudine etiam comprehendit l. pater §. conditionum 2. ff. de condit. & demonstr. l. ne lucrum 5. C. de cur. fur. (5.) deniq; pro tuitione impuberum l. filio 17. D. de inj. rupt. & urit. fact. test. Hinc Cic. l. 2. ad Calium. Te tamen oramus, ait, qvibus cum erimus in terris, ut nos liberosq; nostros tueāre, ut amicitia nostra postulabit; reje. Etis autem cæteris ultimam specificam acceptionem pro propria agnoscimus.

### III.

Sicut maximè periculosest novas excogitare opiniones; ita etiam non satis tutum fore autumo, novas proferre definitiones, proinde libuit Servii Sulpitii non insimil Classis JCti, Definitionem ab Imperatore nostro receptam, retinere. Tutela, ille inquit, est vis ac potestas in capite libero ad tuendum eum, qui propter ætatem se defendere nequit, Jure Civili data ac permissa. l. i. ff. de tut. §. est autem Inst. eod.

### IV.

In hac Definitione generis loco ponitur vis & potestas: circa qvæ verba mirificè desudant Juris Interpretates, adeò, ut tot ferè sint sententiae, qvōd capita. Aliis duplicatum genus non placet, aliis alterutrum, aliis utrumq; essentiam & naturam tutelæ non satis exprimere videtur. Nulli eorum adhæremus. Non prioribus, qvia in jure nostro necesse non est, ut accuratissimas definitiones juxta Logicorum præcepta & regulas concinnentur Bach. ad §. 1. Inst. de tut. & qvia unum per alterum rectius potest explicari Anton. Matt. add. §. 1. Non cæteris, qvos seqvitur Vultej. Wesenb. & Treutl. modo tamen verba vis & potestas, commoda interpretatione moliantur: per vim enim intelligenda est non vis violenta

enam.

A 3

in

in atrocitate consistens, uti putavit Accurs. in d. l. i. ff. b. t. sed  
administratoria, defensoria, & ut loqvar ex mente Arumæi.  
amicabilis & dispositiva, quâ pupilli persona defenditur, ejusq;  
res seu bona conservantur, per potestatem non strictè accipi-  
endum est jus in personam, quale habet Magistratus in subdi-  
tos, Dominus in servum, Pater in filium l. 215. D. de V. S-  
quomodo accipitur in pr. tit. Inst. de tut. sed late pro jure,  
qvod Tutor ad Personam habet, pro ea potestate, qvæ non  
directa est ad commodum imperantium seu eorum, qui eam  
habent; sed qvæ tota comparata est ad utilitatem eorum, qui  
in ea potestate sunt. Et hoc modo, si vocabula explicen-  
tur, qvin parili ratione naturam tutelæ satis exprimant, ne-  
mo est, qui non videat, ut necesse non sit in locum nostri  
generis substituere vocabulum jus, præsertim cum & hoc vo-  
cabulum suis ambiguitatibus non careat. vid. l. ult. ff. de just.  
Et jur.

V.

Subjectum sive materiam denotant verba in capite libero.  
Quælicet ad utrumq; cum Donello l. 3. Com. Jur. Civ. c. i.  
e commodè referre possimus; attamen si mens IMPERATO-  
RIS inspiciatur, potius ad tutorem quām pupillum protrahi  
videtur. Arum, Arith. Pac. & Riem. cum sufficiat tuto-  
rem libertum esse, pupillus autem non tantum liber esse de-  
bet, sed & sui juris, i. e. patriæ potestati non subjectus l. 6.  
§. fin. l. 14. ff. de tut. cui caput liberum ex proprietate voca-  
buli opponi non potest l. 8. ibi, qvodammodo ff. de probation.  
Sed ulterius & verba sequentia ad tuendum eum satis innu-  
unt & monstrant, non de pupillo IMPERATOREM cogi-  
tasse, alias enim sermonis ratio efflagitasset, & necessum ha-  
buisset Imperat. dicere ad tuendum id, sed cum hoc non fe-  
cerit, magis præsumtio militat & stat pro tutore quam pu-  
pillo. Diss. Wesenb. in π. de tut. n. 4. Rittersb. Borch. Vult.  
n. 3. Bronch. Sudholt. Et Ungep. exerc. 4. qvæst. 1. in nego.

Finem hæc verba, ad tuendum eum, ostendunt, qui  
duplex, vel primarius, vel secundarius. De secundario con-  
sistens

A

sistens in administratione, nostra definitio exaudienda non est, sed de primario, qui est, ut tutor pupillum indefensum non relinqvat, quod tum ex Etymologia superius tradita, tum ex l. 30. ff. de adm. & peric. tut. apparet, quo sine tutela a cura & patria potestate distinguitur. A cura, quia haec primario & principaliter administrationem bonorum spectat l. 8. C. de nupt. l. 7. §. 3. ff. proempto. per consequentiam vero Personam, quod in tutela inverso modo procedit l. certarum 12. l. 14. ff. de test. tut. tot. tit. Dig. de adm. & peric. tut. A patria potestate, quae in coercendo & acquirendo consistit, non, quomodo tutela, in tuendo & defendendo.

### VII.

Annectitur tandem definitioni causa efficiens, quam rejicit Vultej. quasi ex doctrina Logicorum ea definitionem ingredi non possit, quod falsum esse in accidentium definitionibus, qualis haec nostra est, docet Keckermannus Syst. Leg. lib. 1. Perhibetur autem Jus Civile causa efficiens esse tutela, forte non alia ratione quam patria potestas, successio & testamenta isti Juri adscribuntur. Ut nihil repugnat seu resistant verba, quae habentur in §. pen. Inst. de Atti. tut. Dicimus enim tutelam respectu approbationis & formae a populo Roman. factae esse Juris Civilis, quanquam respectu ortus seu originis & essentiae eam Juris naturalis esse & apud alias gentes in usu fuisse non negemus.

## MEMBRUM SECUNDUM.

### De Divisione.

#### Thesis I.

Atque ita enodavimus definitionem, quam recte sequitur divisio. Quae aliunde defini non potest, nisi a causa efficiente, eaque proxima, quae dicitur, aliam tutelam esse testamentariam, aliam legitimam, aliam denique dativam l. 7. ff. rem pup. salv. for. l. 52. C. de Episcop. & Cler. Inst. tit. 13. 14. 15. & 20. Evidem omnis tutela causa efficiens est jus sive lex, ut dictum est in praeced. membr. th. 5. sed non cujuscunq; causa proxima. Defert enim interdum tutelam mediate i. e. mediante

diante aliâ personâ, qvam in sui societatem quasi adsciscit,  
qvæ Persona aut privata est, ut Parens, qui testamentum con-  
dit secundum præscriptas leges, & ea tutela appellatur testa-  
mentaria, aut publica est, ut Magistratus, & ab eo tutela vo-  
catur honoraria s. dativa. Interdum autem defert tutelam  
immediatè, ubi proxima causa efficiens jus vel lex manet,  
& tunc ea tutela *καὶ ἔξοχη* legitima nominatur. Hâc itaq;  
ratione mihi planè divinatorium videtur, cum Cujac. &  
Vultej. rem ad *διχοτομίαν* reducere, aut cum aliis unam sal-  
tem speciem nempe legitimam agnoscere & constituere arg.  
*l. 130. ff. de V. S.*

## II.

Primus locus meritò tribuitur tutelæ testamentariæ,  
quemadmodum enim tamdiu successioni & hæreditati legi-  
timæ locus non est, quamdiu hæres ex testamento speratur  
*l. 2. C. unde liberi.* ita etiam tamdiu cæteræ tutelæ sunt in su-  
spenso, quamdiu testamentaria speratur *l. 89. ff. de R. f. l. II.*  
*ff. de test. tut.* Est autem tutela testamentaria, qvando parens  
liberis in potestate constitutis, & non in alterius potestatem  
recasuris, impuberibus testamento vel codicillis testamento  
confirmatis tutorem dat. *§. 3. hic & l. 3. ff. de test. tut.* Ex  
qua definitione appetet, tria desiderari, ut hæc tutela testa-  
mentaria constituatur. Primo in persona testatoris dantis,  
*patria potestas*, qyalem habent Pater, avus paternus, & omnes  
ex paternâ linea ascendentis *§. 3. Inst. qui test. tut. dar. l. 73.*  
*§. 1. ff. de R. f.* inde excluditur mater *§. 10. Inst. de adopt. l. 4.*  
*ff. de test. tut.* qvæ ex lege & jure stricto jus dandi tutores non  
habet. Interdum tamen ex humanitate talisdatio sustinetur,  
si liberos instituat hæredes, & patiatur, ut tutor cum inquisi-  
tione confirmetur, *l. 2. ff. de confirm. tut. d. l. 4. ff. de test. tut.*  
Secundo in Personis qvibus dantur, ut ante mortem dan-  
tis sint filiifam. post mortem autem ejus tales esse desinant,  
ubi non tantum intelliguntur iam nati i. e. utriusq; sexus li-  
beri, sive sint masculi sive foeminae *l. 1. ff. de test. tut.* nepotes  
& nepes, cæteriq; descendentes *d. l. 1. ff. eod.* verum etiam  
nasci-

nascituri seu posthumi Dom. Arum. Exerc. Iust. 3. th. 5. dummodò sint posthumi sui non alieni i. e. dummodò si vivo parente nascerentur, sui hæredes fierent aut futuri essent. Pac. hic in Analy. Inst. b. §. 4. de tut. An etiam parens exhäuserdato filio posse dare tutorem, qværitur? Qvod affirm. per b. 4. l. 11. §. 2. in primis l. 31. ff. de test. tut. & l. 77. §. 2. ff. de condit. & demonstr. qui texx. loquuntur generaliter de liberis in potestate existentibus, neq; distingvunt inter institutos & exhäuserdatos, ut nobis non incumbat, lege tacente sic distingvere l. 8. ff. de publ. in rem action. l. 1. §. generaliter ff. de legat. præst. erubescimus enim sine lege loqui Nov. 18. c. 5. Jason. in l. Præses 12. n. 3. v. unde erubescimus & c. C. de transact. De emancipato filio majus dubium est, qui tempore mortis patris in potestate non est, patria potestate per emancipationem soluta §. 6. Inst. qvib. mod. patr. pot. solv. ideo ipso jure tutorem ipsi dari non posse dicendum: interim tamen, si quem pater constituerit, ne planè inutilis testatoris voluntas reddatur, confirmandus est ex sententia Præsidis omnimodo, i. e. sine inquisitione, censetur enim pater, non obstante emancipatione, nihilominus propter affectionem liberis suis quam optimè prospexit l. 22. ad L.

Jul. de adult. An autem tutores testamento non reetè dati, sint confirmativi tutores testamentarii, an dativi, tractant hic Dd.? Nos respondemus, quod distingendum sit: an tutor datus fuerit ab eo, qui alias jus dandi tutores habuit, an vero ab eo, qui jus dandi tutores non habet. Si prius; non simpliciter erit testamentarius, sed dativo aliquo modo similis. Si posterius; non simpliciter erit datus, quia Prætor necesse habet, in confirmingando seqvi iudicium testatoris, sed testamentario aliquo modo similis erit, adeoq; habebit tutor confirmatus naturam mixtam, testamentarii scil. & dativi, & ad cuius naturam magis accedit, ac de cuius natura magis participat ab eo descendus erit: nimirum si plus de testamentario participat, huic rite de iustitia in causa non B. cum non autem testar

testamentarius, si de dativo, dativus. Bachov. ad Treutl.  
p. 2. disp. 8. th. 2. lit. C. pag 407. Tertiò & ultimò qvoad  
modum dandi, ad testamentariam tutelam constituendam  
desideratur, ut datus sit tutor in testamento Perfecto, aut  
Codicillis testamento confirmatis. Nihil autem interest,  
an ad certum tempus, an ex certo tempore, aut sub condi-  
tione datus fuerit. §. 3. Inst. qui test. tut. dar. poss. cum tutela  
testamentaria actus legitimus non sit l. 27. ff. de R. J. l. 6. §. 1.  
ff. de tut. hoc interest, ut certæ rei vel causæ non detur l. 12. ff.  
de test. tut. §. 4. Inst. qui test. tut. dari. poss.

### III.

Prima tutelæ specie, qvæ testamentaria nominatur,  
enucleatâ; ordine jam transitum sumus facturi ad alteram.  
qvæ legitima dicitur. Est autem legitima tutela, qvam lex  
cessante testamentariâ, certis Personis, vel agnatis vel cognatis  
defert. pr. Inst. delegit. agnat. tut. Ubi secernimus ordinari-  
am ab extraordinariâ seu Anomala, vel, ut loquitur  
Vulci Imperatoriâ. Hanc extraordinariâ cum Justin. in Nov.  
ing. c. 5. matri & aviæ adscribitur. Haec qvidem mulieres re-  
gulariter & ordinariè, sive de Jure Pandect. sive Cod. qværa-  
mus, ob sexūs consiliq; fragilitatem ad nulla munera publi-  
ca admittuntur arg. l. 2. ff. de R. J. quale si cogitemus esse tu-  
telam pr. Inst. de excus. l. 9 ff. de his qui sunt sui vel alien. jur. Vi-  
defis Magnif. Dn. D. Carpzovium part. I. const. I. def. 10. n. 4.  
Arum. exercit. Just. 3. th. 19. vix dubitare licebit, an etiam ad  
tutelam admittendæ. Extra ordinem tamen ex speciali con-  
cessione Imperatoris, amissis viris, tutrices liberorum suorum  
legitimorum & naturalium esse possunt, non qvidem pro-  
pter successionem, sed ob singularem amorem, qvem erga li-  
beros habere præsumuntur l. fin. C. cum auth. ad bac & l. 2.  
auth. matr. C. grand. mul. tut. off. fung. Treutl. vol. 2. disp. 8. th.  
3. lit. d. qvod etiam de Jure Saxon. observatur, teste Dn. D.  
Carpz. part. 2. const. II. def. 11. n. 5. Et seq. hæc tamen additâ li-  
mitatione, si modo renuncient secundis nuptiis & SCto Vel-  
lej. non qvidem ut olim præstito juramento d. Auth. matr. C.  
grand. mul. tut. off. sed sufficit hodiè, si mater & avia apud  
acta

acta judicij simpliciter sine juramento secundis nuptiis & aliis beneficiis renuncient. Schneidew. ad pr. Inst. qui refertur. dar. poss. n. II. § 12.

Ordinaria autem est, quæ originem habet ex l. 12. tabb. & hæc vocat nonnullas Personas expressè, nonnullas tacitè, sive obliquè. Expressè & directis verbis vocat agnatos, qui aliquando sperant successionem in bonis pupillorum l. 1. ff. de legit. tut. ut satisficeret axiomati illi; percipientem commodum, debere etiam decrementum sentire l. 10. ff. de R. J. Nov. 118. c. ult. Implicitè, obliquè & ex legum sententia etiam Patronos l. 3. ff. de legit. tutor. l. 6. §. 1. de V. S. propter identitatem rationis l. 32. ff. ad L. Aquil. quæ æq; militat in illis ac in agnatis. Nam à lege tutela agnatis defertur propter successionem, ut dictum est l. 1. ff. de legit. tut. Hoc verò commode successionis etiam sentiunt Patrōni, quando liberti sine liberis decedunt. Non immerito igitur & tutelæ onus subire coguntur t. t. Inst. de legit. agn. tut. & d. l. 3. ff. de legit. tut. Huic proxima est quasi legitima tutela, quæ neq; ex verbis, neq; ex interpretatione legis 12. tabb. descendit, sed saltem ad exemplum legitimæ introducta est, quam iterum deprehendimus duplēcēm, Parentum & Fratrum. Parentum est, quando Parentes ad exemplum Patrōni liberorum emancipatorum tutores fiunt Inst. de legit. Par. tut. §. 6. inst. qvib. mod. patr. pot. solv. quemadmodum enim Dominus manumittens servum suum impuberem siebat tanquam Patronus ejus legitimus tutor; ita Pater manumittens seu emancipans filium impuberem siebat quasi filii manumissi Patronus, atq; ad exemplum ejus tutor, præsertim cum jure Prætorio bonorum possessionem impetrari possit. Fiduciaria est, quæ ad fratres perfectæ aetatis defuncto Parente tute defertur t. t. J. de fid. tut. & illa neq; ex verbis, neq; ex mente legis 12. tabb. sicuti Patronorum, neq; etiam per interpretationem seu extensionem, sicuti Parentum, sed tantum propter spem & fiduciam, quam lex habebat erga fratres, introducta est, lex enim confidebat, fratres propter Jus seu conjunctionem sanguinis fore in defendenda Personā fratris

tris emancipati impuberis præ cæteris diligentiores, ipso  
nativo nomine id indigitante. Et hic est juris antiqui mo-  
dus deferendi tutelam legitimam. Hodiè vero per jus Auth.  
sublata est illa differentia, qvoad successionem & tutelam,  
adeo ut tam ad agnatos, quam cognatos indifferenter & pro-  
miscue (post matrem scil. & aviam; de qua in præced.) ea de-  
volvatur. *§. ex his in Auth. de bæred ab intest. ven. Col. IX.* ad-  
ditâ hæc restrictione, ut si plures sint ejusd. gradus, Prætor  
uni vel pluribus magisq; idoneis, omnium tamen periculo,  
tacitaq; bonorum hypotheca eam demandet. & concedat.  
*Nov. 118. juncta. auth. sicut C. de legit. tut. Georg. Schulz. in Sy-  
nops. Inst. sub tit. 15. de legit. agn. tut.* ubi contrarium in foro  
Saxonico observari attestatur, agnatos perinde ac Jure veteri  
iterum cognatis præferri, eo ordine, ut semper ad proximi-  
orem, & inter plures proximiores ad seniorem agnatum tu-  
tela pertineat. Sed & differentia inter suos & emancipatos  
hodiernâ luce, qvoad legitimas successiones s. tutelas pror-  
sus sublata est per d. *Nov. 118. c. 4. l. 4. C. de leg. tut.* & nostris  
moribus liberi nostri non aliter nisi per nuptias, vel separa-  
tam familiam, qui actus in impuberis non cadunt, tacite e-  
mancipati, vel e potestate patria dimissi intelliguntur, ut ita  
utriusq; quasi legitimæ tutelæ usus amplius nullus sit, *Schulz.*  
*ad tit. 14. J. de leg. par. tut. sed cum verē legitima coincidat;*  
prout annotavit *Setser. disp. 6. th. 22.*

IV.

Restat tertia tutelarum species dativa, de qua in L. At-  
tilia, Titia & Constitutionibus Imperatorum olim dispositum  
erat, qvibus legibus tantum certi Magistratus licentiam habe-  
bant, pupillis tutores constituendi pr. & §§ seqq. *Inst. de Attil. tut.*  
Sed hæc datio hodie est obsoleta. Jure novissimo hanc tu-  
telam dativam vocamus, quam Magistratus liberrimâ vo-  
luntate & impulsu proprio ad petitionem matris vel proximo-  
rum consangvineorum, deficientibus testamentariis & legi-  
timis, alicui refert t. t. *D. de tut.* & curat. dat. unde facile ad  
questionem, **Utrum tutelæ datio sive jus dandi tu-**  
**tores**

tores Jurisdictionis sit nec ne? responderi potest negativē, si ad jus s̄fforum & Cod. respiciatur; Dicendum tamen, accipiem interdum pro omni notione in civilibus l. 1. ff. de Jurisdict. l. 3. pr. ff. de postul. l. 8. §. 18. ff. de transact. l. 1. C. de offic. Præt. l. 3. §. 5 ff. judic. solv. & alibi, interdum pro illa tantum, qvæ jure Magistratus cōpetit l. 1. ff. de off. ejus cui mand. si priori modo sumattur, reētē etiam tutelæ dationem Jurisdictionis esse nos dicimus, si posteriori, secūs, prout etiam expresse negatur l. 6. §. 2. D. de tut. eam Jurisdictionis esse, aut Imperii, sed ei soli competere, cui nominatione hoc commisit & dedit lex, vel SCtum, vel Princeps, qvod etiam t.t. Inf. de Attil. tut. probat: ex qvo verificatur, certis tantum Personis, hoc ius cōpetiisse ex speciali concessione p. d. t. §. 1. 2. & 3: eod. qvæ speciales permissiones omnes aliās non fuissent necessariæ, si jurisdictionis esset, & jure Magistratus competenteret. Dubium autem suboritur, tutoris dationem posse mandari §. 4. d. t. qvæ si Juriidictionis non esset, haud posset. Verum nonnulli Dd. ad h. §. respondent, jussu hīc non esse accipendū pro mandato, sed pro admonitione, qvia Magistratus municipales hanc potestatem expediebant admoniti. Nos addimus, jussum intervenientem adimplere conditionem à lege præscriptam, non autem jurisdictioni mandare; magis est, qvod ex l pen. ff. de off. Pro Cons. & leg. adferunt, Legatum Pro Consulis tutorem dare posse, qvod si verum, (uti est,) videtur dicendum, tutoris dationem posse mandari, nam Legatus Proconsulis utitur mandatâ Jurisdictione; sed sciendum Legatum ProConsulis & habuisse mandatam Jurisdictionem, & propriam l. 17. §. 5. ff. manumis. vindict. adde l. fin. C. de vind. libert. ita tamen ut hanc non principiati habere, qvam istam habeat à ProConsule mandatam l. 4. §. ult. ff. de off. Pro Cons. & legat. tutorem enim dabat non vi delegatæ Jurisdictionis, sed qvia lex i.e. Constitutio seu oratio Divi Marci specialiter hanc potestatem ipsi dedit l. 1. §. 1. ff. de tut. & cur. dat. Hodiè verò mutatâ Republicæ formâ, & receptâ consuetudine omnis Magistratus Municipalis & Civitatum Judex indistincte tutores dare potest Schulz. ad

§. 5. Inst. de Attil. tut. lit. & adeo ut non inepte moribus nos  
stris dici possit tutelæ dationem esse Imperii vel Jurisdictionis.  
vid. Ord. Pol. Caroli V. Augustæ Anno 1548. & à Rudolpho II. Francofurti Ann 1577, confirm. rubr. von den Pu-  
pissen und minderjährigen Kindern / tutores und Wormündern  
S. so wollen wir.

## MEMBRUM TERTIUM. De Tutoris qualitate & officio.

### Thesis 1.

In tute hinc modis dato requiritur, ut non impediatur tutor esse vel facto vel jure. Facto impediuntur, & quidem ob defectum animi furiosus, minor viginti quinque annis §. 2. J. qui test. tut. dar. poss. prodigus arg. l. 10. §. 3. ff. de test. tut. mulier l. 16. l. ult. ff. de tut. arg. l. 2 ff. de R. J. (except. vid. in rit. C quād. mul. tut. off. fung. confer supr. membr. 2. tb. 3.) vel quia omni intellectu l. 14. de eff. Praejudicio l. 12. §. 2. de jud. & sensu destituuntur l. 22 §. 7. solut. matr. vel quia ipsi sunt sub potestate Curatorum, quorum adminicula indigent §. 3. Inst. de curat. vel deniq;, quia ob sexūs fragilitatem vix sibi sufficere possunt, Ob defectum corporis impediuntur mutus, surdus & cæcus, quorum illi animi sensa commode explicare, auctoritatemq; quæ secundum inferius dicenda, maximè in tute requiritur, interponere; hic vero, quæ præcipue utilia esse possunt pupillo, animadvertere non potest l. 3. C. qui dar. tut. Jure seu lege prohibentur tutores esse (1.) Servi l. 7. C. qui dar. tut. poss. & hoc, quia eorum, quæ juris Civilis sunt, qualis est tutela, capaces non sunt, nec eius communionem habent. Nee impedit, quod in testamento servi dentur tutores §. 1. Inst. qui test. tut. non enim ut servi dantur, sed quatenus in testamento libertatem direxerit vel fideicommissariam nanciscantur. (2.) Milites tam armati, ne si à signis absint, Respublica l. 4. C. qui dar. tut. poss. quām cœlestes ne si à cultu divino avocentur, Ecclesia damnū pati debeat Nov. 123. c. 1. ibid. Rittersh. part. 8. n. 4. & tales sunt Episcopi & Monachi, Diaconi & Subdiaconi, Excipe: nisi tutela sit legitima, tunc hi Diaconi & Subdiaconi, admit-  
tuntur.

tuncur, si ultro velint d. Nov. 123. c. 5. & ibi Cujac. arg. I. 52.  
C. de Episc. & Cler.

H.

Ita qualificatus tutor à testatore, lege vel Magistratu delatum munus suscipere, (est enim tutela munus publicum, ad quod quis etiam invitus cogi potest §. 3. Inst. de Att. tut.) & suscepto officio recte praesette tenetur. Constitit illud tutoris officium in duobus: in administratione & authoritatis interpositione. In administratione prænotanda sunt ejus antecedentia, qualia sunt (1.) Satisfatio (2.) jurementum Nov. 72. c. ult. & (3.) Inventarii confessio l. 7. ff. de adm. tut. Qvod ad primum attinet, Imperator inter alia remedia & hoc in favorem pupillorum introduxit, ut tutores satiscent, seu cautionem præstent rem pupilli salvam fore tot. tit. Dig. rem pup. salv. for. propter rationem, quam ipse assignat in pr. Inst. desatisf. ne videlicet bona eorum, qui in tutela curatelave sunt diminuantur & consumantur, & ne quid incuria, ne quid fraude depereat l. 2. C. quond. mul. tut. off. fung. Illa satisfatio nihil aliud est, quam cautio, quæ fidatis fidejussoribus l. 1. ff. qui satisf. cog. Pac. in Analy. Inst. ad pr. de satisf. tut. Hinc convenienter quæti solet: Anne satisfatio fieri possit pignoribus? Nos pupilli commodo faventes; negativæ subscribimus, cui melius est habere fidejusforem, quam pignus, propterea quod creditor ex pignoris contractu ad diligentiam & custodiæ obligetur l. 23. ff. de R. 3. §. ult. 3. qrib. mod. re contrah. oblig. & quod pignora quæ multis modis variisq; casibus perire possunt, non statim emptorem inveniant, reddantq; expeditorem modum conveniendi fidejusfores l. ult. C. de jur. dom. impetr. l. 4. §. 1. 2. D. rem pup. salv. for. Qvibus accedit, quod stipulationes Prætoriæ præcisè desiderent personas l. 7. ff de disp. Præt. inter quas & hæc satisfatio numeratur, sicut liquet expr. 3. desatisf. & d. l. 7. ff. de S. P. Vid. hic Ampl. Dn. Brunnemanni, Præceptoris mei, omni veneratione, quæ debeo, excepti Exercit. 4. sup. Inst. ad h. t. desatisf. Dn. Gross b. m. coll. jur. mod. disp. 4. th. 23. Föft. disp. 5. th. 5. Dom. Arum. Ex-  
ere.



ere. *Iust. 3. th. 18.* Pac. & Harpr. ad h. t. Hujus autem fidejus-  
soriæ satisdationis onere olim Jure veteri tutores testamen-  
tarii, sive utiliter sive inutiliter dati, quales sunt hi, qui à ma-  
tre in perfecto testamento *l. 2. ff. de confirm. tut.* aut à patre in  
imperfecto testamento codicillisve *l. 3. ff. de test. tut.* constituti  
*d. l. 2. & ult. ff. de confirm. tut.* aut ex inquisitione dati non gra-  
vabantur *l. 4. C. de tut.* & cur. quis satisd. non ded. *l. 8. C. de Cur.*  
furios. Arnold. de Reyger in suo thes. jur. de tut. p. m. 1566. n. 471  
& modo laudatus Dn. D. Brunneman. d. l. eò qvod eorum fi-  
des & diligentia ab ipso testatore & Magistratu electa & ap-  
probata esset *l. 17. pr. de test. tut. l. fin. C. de auth. praest. juncta l.*  
*ult. C. de cur. fur. l. 3. §. 1. de administr. tut.* qvod secus obser-  
vabatur in legitimis tutoribus vel honorariis h. e. à Magistra-  
tu sine inquisitione datis, hi enim omnino satisdationem  
præstare tenebantur. Possit autem alicui videri absolum,  
providentia hominis, qualis testator & Magistratus, tantum  
tribui, quantum non providentia legis. Videlicet, ut qvod  
res est, dicamus, differentia ratio est in eo, qvod providen-  
tia legis nimis generalis est & è longinquo, & quæ saltem præ-  
sumit agnatos fore fideles: Patris vero providentia specialis  
est & in proximo, quæ scit & novit quam optime qui  
liberis sint idonei tutores. Verum hæc jure novo in d.  
Const. Pol. Caroli V. & Rudolphi II. tit. von den Pupillen und  
minderjährigen etc. plane abrogatum reperitur, ubi omnes,  
sive testamento constituti, sive à lege sive à judice, & ve ex in-  
quisitione vel non, bey Verpfändung aller ihrer Haab und Gü-  
ter / so viel derer hierzu von nothen &c. satisdare coguntur; à  
quo antiquo jure & constitutione Carolinâ aliquo modo re-  
cessit iterum jus Sax. quo tutor, qui est proximus haeres pu-  
pilli, à satisdatione relevatur per tex. Landr. lib. I. art. 23. vers.  
Wo aber der Wurmund juncta ibi gl. atq; ita observari, attestatur  
Schulz. ex Coler. dec. 6. n. 25. sub fin. in Synops. Inst. de satisd. tut.  
Secundum antecedens est juramentum, qvod præstare  
tenentur omnes, sancteque promittere, se absq; dilatione pu-  
pilli defensionem suscepturos *l. 30. ff. de adm. tut. l. 28. §. pen.*  
*ff. eod.* Personam pupilli in timore DEI bonisq; moribus edu-  
cate.

catueros, mercedes Prræceptoribus' juxta vires patrimonii  
l. 12. §. pen. ff. de adm. & peric. tut. constituturos l. 4. ff. ubi  
pup. educ. se velle corpus, itemq; salutem impuberis tueri l. 7. pr.  
ff. de cur. fur. alimenta ei præbere l. 3. §. tutor. ff. de susp. tut. acti-  
ones l. 22. ff. de adm. & peric. tut. vel per se, vel per alios l. 11. C.  
de Procur. exercere, pro impubere promittere, solvere l. 10.  
ff. de adm. & peric. tut. pecuniam si ejus copiam habet, & è  
re pupilli videtur, licito fœnori, ut exinde sustentationem  
habere possit, exponere, eaq; omnia facere, qvæ in rem im-  
puberis erunt, inutiliaq; prætermittente N. 72. c. 8. l. 28. §. pen.  
C. de adm. tut. l. 27. C. de Episc. aud. De educatione ubi & apud  
qvem ea fieri debeat, possunt videri l. 5. & t. t. ff. & C. ubi  
pup. educ. deb. ibid. Wesenb. Schotanus & Schneidew. ad §. i impu-  
bes Inst. de Attit. tut. n. 4. & 5. Et qvamvis aliqui ex Dd. sint,  
qui statuunt moribus nostris hanc juramenti præstationem  
esse abrogatam, illud tamen tantum de solemnibus & riti-  
bus, qvæ constitutio d. l. 27. C. de Episc. aud. requirit, non de  
ipso juramento tutorum absolute considerato intelligendum  
memini traditum ab Ampl. & Excell. Dn. D. Polycarpo Wirth,  
Lipl. in Coll. Inst. priu. o. s. o. o. m. b. i. p. i. o. o. g. l. u. m.

Tertium antecedens. & inventarii seu repertorii confe-  
ctio, qvæ caput & fundamentum perhibetur reddendarum  
rationum l. 28. ff. de cond. & demonst. In istud inventarium  
protinus cunctas pupilli res, sive mobiles, sive immobiles,  
corporales & incorporales, nullis exceptis, qvas habet, no-  
minatim & specificè conscribere tenentur l. 7. pr. ff. de adm.  
tut. l. 24. C. cod. l. fin. §. ult. C. arbitr. tut. nisi velint tanquam  
suspecti removeri, atq; ita infamia notari, ac in id quod inter-  
est pupilli teneri l. ult. in pr. C. de adm. tut. unde ante id con-  
fectum tutores dati nihil agi d. l. fin. §. l. C. arbitr. tut. nihilq;  
ab eo gesta valere dicuntur l. 7. pr. D. de adm. tut. Jure tamen  
Saxonico aut inventarium exhibere, aut deficiente eo bona  
pupilli juramento indicare debet. Mf. Dn. D. Carpz. part. 2.  
const. ii. ief. 6. n. 4. Hæc omnia, si antecesserint, seqvitur ipsa  
administratio, qvæ jure novo à Judice seu Magistratu speci-  
aliter tutoribus prius committi & decerni debet d. Const. Pol.

Carol.

*Caroli V. de Anno 1548. & 1577. tit. von der Pupillen und minderjährigen Kinder tutorn fol. 375. & fol. 689. ibi: daß ein jeglicher Vormund/ er sey gleich Testamentsweise verordnet / oder durch des Recht und Richter gegeben / sich der Vormundschaft nicht unterzichen soll / die Verwaltung sey ihm denn zuvor durch die Obrigkeit decernires und anbefohlen. Montan. de tut. c. 32. reg. 1. n. 1. & seqq. qvam postea secundum juramentum instituere & regulare tenentur.*

II.

Alterum in quo tutoris officium consistit, est authoritatis præstatio, qvæ in eo à speciali administratione differt, qvod hæc authoritas requirat, ut ad negocium gerendum concurrat tutor & pupillus simul, illa verò administratio contenta sit tutori solo. Definiri potest authoritas, qvod sit legitima & expressa à tutori facta approbatio negotii illius, qvod à pupillo & extraneo peragitur l. 3. ff. de autb. tut. Hic ante omnia videandum & dispiciendum, in quibusnam actibus necesse sit, ut negocium à tutori & pupillo simul geratur. Eqvidem negotia omnia qvalia sunt, etiam sint à pupillo gesta invalida sunt per se, si non adhibita sit tutoris authoritas, sed tamen sunt nonnulla, qvæ in gratiam pupilli non secus ac si revera authoritas intervenisset, pro validis habentur, qvalia sunt ea, qvæ vergunt evidenter ad utilitatem & commodum ipsius l. 11 D. de acq. rer. dom. seu ut loquitur JUSTINIANUS pr. Inst. de autb. tut. in quibus suam conditionem manifestè meliorē reddit: ut ecce, si stipuletur §. 9. 3. de inut. stip. si donationem contrahat l. 3. C. de acqvir. vel amitt. poss. si liberationem per pactūde non petendo debito l. 28. ff. de pact. aut per acceptilationem sibi acqvirat l. 2. ff. de accept. si legatum aut fideicommissum acceptet. Excipiuntur ergo actus & negotia, quibus præsumptivè suam conditionem deteriorem facit, quales actus & negotia sunt hæreditatis extraneæ additione §. 1. 3. l. de autb. tut. contractus ultrò citroq; obligatorii l. 19. ff. de V. S. qui absq; tutoris autoritate ex parte pupilli profsus non valent. Ex parte, dicimus, pupilli, qvia ex parte alterius contrahentis nihilominus subsistunt or. 7. de Autb. tut. in fin.

in fin. qvi sibi imputare debet, qvod cum homine minoris ætatis contraxerit, cum qvemlibet oporteat conditionem ejus nosse, cum qvo contrahit l. 19. ff. de R. J. alias ignorantia Juris ipsi nocet l. regulaff. de jur. & fact. ign. Omnia tamen hæc intelligenda sunt de obligatione, qvæ ex consensu seu verò contractu proficiscitur, non de ea, qvæ sine con sensu ex re venit, ut si socius pupilli in rem communem aliquid impenderit, tunc pupillus obligatur, etiamsi tutoris authoritas non intervenerit l. furiosus 46. ff. de obl. & act. Modum interponendi authoritatem, qvod attinet, juxta superius traditam definitionem, ut validus sit actus, necesse habet tutor, aut illum actum seu negotium insimul & conjunctim cum pupillo celebrare vel contrahere, aut negotium à solo pupillo præsente tamen ipso contractum protinus approbare d. §. 3. Inst. de auth. tut. Ita enim tute præsente excluditur omnis metus & dolus l. 35. C. de transact. Post tempus igitur & contractum jam negocium aut per epistolam, ejus authoritates ex intervallo interposita nihil agit? Ita putamus per l. 9. §. tutor. 5. ff. de auth. tut. & §. 2. Inst. cod. cum ea qvæ ad solemnitatem pertinent, in ipso actu ut interveniant, necesse sit l. 1. §. 1, l. continuus 137. ff. de Verb. Obl. Diss. Cujac.

## MEMBRUM QVARTUM.

### De Effectu Administrationis.

#### Thesis I.

Hæc administratio rerum pupillarum & authoritatis interpositio, de qvibus hactenus, hoc operantur, ut exinde, tanquam ex tacitis conventionibus inter tutorem & pupillum habitis juris præsumptione firma, eaq; mutua nascatur obligatio §. ult. Inst. de oblig. §. 2. Inst. de oblig. qvæ ex qs. contr. perinde ac ex qualibet negotiorum gestione §. 1. Inst. cod. cuius ratione non tantum pupillus tutorem per actionem tutelæ directam convenire potest (1.) ad rationes finitæ tutelæ §. ult. Inst. de Attil. tut. l. 1. pr. & §. ult. l. 4. pr. l. 9. §. 4. ff. de cus. & ration. distr. (secus Jure Canonico Clem. quia 2. §. ut autem de religios. dom. c. pastoralis 2. vers. præsenti de Cler. agrot. in 6to. Saxonico lib. 1. art. 23. & Ord. Pol. Car. V. Anno 1577. & à Rudolpho

dolpho II. confirmata. ibi: daß der Wormund jährlich) redendas (2.) ad damna dolo, culpa lata & levi data præstanda; sed & tutor adversus pupillum contrariam actionem intendere potest, ad obtainenda ea, quæ ipsi propter tutelam absunt, veluti si tutor in rem pupilli necessario vel utiliter aliquid impenderit, aut pro pupillo ita se obligaverit, ut exinde pupilli conditio melior facta sit. l. i. & t. t. ff. de contr. tut. & util. act. §. tutores 2. Inst. de obl. quæ ex qs. contr. qvoniam ne pupillus quidem locupletari debet cum alterius jactura. l. 14. ff. de condic. in deb. l. 206. ff. de R. J. nec ejus favor talis, ut alteri debeat officium suum esse damnosum.

## MEMBRUM QVINTUM & ULTIMUM.

### De modis finiendi Tutelam.

#### Thesis I.

Et hi fuerunt modi tutelam constituendi, eam exercendi & administrandi. Sed perinde ac aliæ res in natura certo tempore oriuntur, conservantur & intereuut, *Vultej. ad pr. Inst. qvib. mod. toll. ob.* ita etiam tutela suis non destituitur modis, quibus illa legitimè constituta hactenus per administrationem & ejus exercitium conservata iterum finitur. t. t. Inst. qvib. mod. tut. fin. & C. qvand. tut. vel cur. esse def. Qvod fit vel ipso Jure, vel per factum Judicis. *Ipsfo Jure* finitur, quando casus aut factum aliquod à lege notatum intervenit, quale (1.) est pubertas pupilli, quâ superveniente omnimodo & protinus sine aliquo facto hominis (secus ex recepta generali consuetudine, de qua testatur Schulz. ex Gail. 2. obs. 96. vid Dn. Carpzov. p. 2. const. II. def. 10.) extingvitur, exspiratq; *pr. Inst. qvib. mod. tut. fin. l. 1. C. qvand. tut. vel cur. esse def.* utpote casu eo existente, à quo incipere non potest. l. 26. ff. de tut. & cur. quam puberatem non ex habitu corporis, prout nempē id in homine præsumi & consipi potest l. 32. ff. de min. sed ex annis potius æstimandam esse honestas svadet. In masculis terminus ille pubertatis est an-

flus  
adqlob

10

nus 14. l. 5. D. qui test. fac. poss. in fœminis verò 12. l. 7. C. qui  
pet. tut. l. 13. §. fin. ff. de tut. & cur. dat. ubi cum Accurs. non  
eam lepidam diversitatis rationem damus, qvia fœminæ in-  
ter malas herbas numerantur, qvæ citius crescunt, qvam bo-  
næ, id enim esset nimis contumeliosum in sexum fœmineum,  
secundum Harpr. ad pr. Inst. de nupt. n. II. nec cum aliis tenu-  
itati sexū id imputamus, qvæ genera exilia & debilia cele-  
rius maturescant, qvam robusta; sed humiditati & frigididi-  
tati adscribimus, qvæ in fœminis prædominantur, & eas ad  
velocem maturitatem perducunt, nam & salices celerius cre-  
scunt, qvam quercus. Sed qvid si dicamus etiam post puber-  
tatem in fœminis rationem (de qua in §. I. Inst. de tut.) pro-  
pter qvam tutores dantur, non cessare, cum omnino sexū  
fragilitas & rerum forensium ignorantia impedianc, qvō mi-  
nus satis suam Personam & bona defendere possint; anne id  
circò fœminæ tam puberes qvam impuberes sub tutela esse de-  
bent? sanè appetet ex ex Ulp. fragm. pr. tit. de tut. antiquo jure  
id ita obtinuisse, & fœminæ viripotentes in perpetua tutela  
fuisse, nisi cum Sudholdo diss. 3. aph. 36. inter tutelam pu-  
pillarem & muliebrem, aut cum Contio inter tutelam nego-  
ciorum & authoritatis distingvere velimus. Sed postmodum  
id immutatum esse docet l. scire 16. ff. de cur. & tut. dat. & d. l.

7. C. qui pet. tut. (2.) MORS, qvæ si naturalis est, generali-  
ter omnia solvit Nov. 22, c. 20. §. deinceps Auth. de nupt. sic i-  
vilis, civilia, §. fin. Inst. de l. g. agn. tut. adeoq; etiam tutelam,  
qvæ Juris civilis est §. 1. de tut. Qvoad mortem naturalem,  
sive ea contingat pupillo, sive tutori, nihil interest §. 3. Inst.  
qvib. mod. tut. fin. ci in ratione utriusq; tutela aliquod Perso-  
nale sit, qvæ Personalia cum ipsa Persona intereunt & extin-  
gvuntur §. 3. Inst. de joc. l. 196. D. de R. J. l. 21. ff. de usu & habit.  
cap. privileg. de R. J. in 6to. Respectu pupilli, cuius Personæ  
tutor datur §. 4. J. qui test. tut. dar. poss. Respectu tutoris, cu-  
jus Persona ad hoc officium specialiter à testatore, lege vel  
Magistratu eligitur pr. Inst. de satisd. tut. & cur. Mors Civi-  
lis est, qvando alicui vita Civilis, libertas & civitas adim i-  
tur, qvod fit revocatione in servitutem, venundatione sui ip-

sus, damnatione ad ultimum supplicium, deportatione, a-  
quæ & ignis interdictione §. 2. Inst. de cap. dimin. & damna-  
tione in metallum, qui modi constituendi aliquem in servitu-  
tem & peregrinitatem, seu hæc genera pœnarum omnia eqvi-  
dem in tutori locum reperiri possunt, secus verò in pupillo,  
qui ab alio (ut ut hoc patiatur,) cum effectu vendi planè non  
potest §. pen. Inst. de Jur. pers. nec secundum communem  
opinionem Dd. sententiâ capitali damnari, imo ne reliquis  
quidem pœnis affici, nisi proximus pubertati sit b. 12. ff ad L.

Corn. de Sic l. 14. ff. ad SClum Syll. (3.) Arrogatio pupilli  
§. 4. Inst. quvib. mod. tut. fin. cum idem simul in potestate pa-  
triâ & tutelari esse non possit pr. Inst. de tut. non tutoris, cui  
non officit, sui Juris non esse pr. Inst. quvitut. dar. poss. Sed quid  
si tutor sit legitimus, cujus agnatio per arrogationem perit?  
§. ult. J. deleg. agn. tut. Dicendum: Jure veteri arrogationem  
tutoris tutelam legitimam finivisse d. §. 4. J. quvib. mod. tut.  
fin. non jure novo; quo differentia hæc, inter agnationem &  
cognitionem penitus sublata N. 118. c. 5. (4.) Existentia  
conditionis & diei, in testamento adscriptæ §. 2. & 5.  
Inst. quvib. mod. tut. fin. §. 3. Inst. quvitut. dar. cum testatoris  
voluntas strictè observanda. Per factum Judicis finitur  
tutela, si tutor ab ea mittatur. Qvæ missio duplex est, Vo-  
luntaria & Necessaria. Illa honesta est, hæc probrosa,  
qvæ interdum etiam infamiam secum habet. Volunta-  
ria missio est, qvæ fit ad petitionem tutoris cuiuslibet (diss.  
quoad legitimum Cujac. & Borch.) excusationis causam alle-  
gantis à Judice causam eam pro justa (de quvibus, quomodo  
proponendæ vid. tot. tit. Inst. Dig. & Cod. de excus. tue. & cur.)  
pronunciante. Necessaria est, quam Judex non petente,  
sed invito tute propter aliquod ipsius admissum exequitur,  
& in specie vocatur remotio. Hæc pro ratione admissi, vel  
aliquem, vel nullum producit effectum. Producit aliquem  
videlicet infamiam, si ob dolum facta; nullum, si ob culpam,  
§. 6. Inst. de susp. tue. & cur. qualiscunque; ea fuerit, cum ubi  
ad

ad corporalem pœnam , cui infamia æqviparatur, infligenda m agitur, lata culpa dolo accenseri non possit l. 7. D. ad  
*L. Cornel. de Siccar.*

Et tantum de Jure Tutelarum pro ingenii mei tenuitate, non pro materiæ dignitatè delineasse sufficiant: Non pigebit autem sicubi hæsito, qværere; & sicubiero, discere.

SOLI DEO TRIUNI SIT LAUS  
HONOR ET GLORIA SEM-  
PITERNA.

Dum primum specimen profecto prodis, Amice,  
Votō hoc meum est applaudere:  
Tutoris sic jura doce, sic ritè pupilli  
Defende privilegia,  
Ut te palmaris maneant præconia laudis,  
captesq; grata commoda!

*Hisce contubernali suo charissimo LL. Stud.  
dexterrimo gratulabundus adesse vol.*

*Wolffgangus Andreas Reither /  
Cygnea - Misnicus.*

Qualem communi meritat de jure favorem  
Lubricus impubes, considerasse juvat.  
Id quod tu Cathedram scandens doctissime CREBSI  
Excolis ingenuè, & strenuus ore doces.

Laudo

Laudo conatus, modò justum perge tueri,  
Sæpius ac monstres, quis vigor ingenii!  
Nam sic patrissas; sic olim, dante JEHOVA,  
Qvod voveo ex animo, nomina clara feres.

Ita  
Amico suo singulari  
L. M. Q.  
acclamabat

Christophorus Seifertus,  
Friedl. Bohem.

En edlen Samen Ihr an ieho wollt aussstreuen/  
Dass Ihr die süsse Frucht im Alter kümmt abmeyen.  
Was Baldus-Bartolus gelehr't / Ihr wollt erfahren  
Durch unverdross'nen Fleiß bey annoch jungen Jahren.  
Wolan beständig bleibt: Euch dis wird Themis geben/  
Wonach der hohe Sinn in Euch hegeht zu streben.

Zu Ehren seines vielwehrten  
Freundes setzte dieses

Michael Steinbach. Lobav. Luf.  
LL. Studios.

Obus


00 A 6456



R

WOM





## Farbkarte #13

B.I.G.



777  
UM LEGALE  
RE  
**LARUM,**  
Qvod  
DRUM AC VIDUARUM  
CONSERVATORIS  
XILIO  
tecessorum SENATUS  
ndultu,  
CTORE  
I R O  
isimo, Consultissimo  
**JO DECHERO,**  
Profess. Publ. Præceptore  
nmo, summè semper  
lendo,  
orio Factorum  
. Novembr.  
publico slistit  
**NUS CREBS,**  
C. LUSAT.  
ti cis Viadrum  
Typis  
CHII, Acad. Typogr.  
DC. LI.